

Ontmoeting met de Sibylle (Verg. Aen. VI, 42-55)

Exc̄isum Euboicae latus ingēns rūpis in antrum,
quō lātī dūcunt aditūs centum, ōstia centum,
unde ruunt totidem vōcēs, respōnsa Sibyllae.
Ventum erat ad līmen, cum virgō ‘Poscere fāta 45
tempus’ ait; ‘deus ecce deus!’ Cū tālia fantī
ante forēs subitō nōn vultus, nōn color ūnus,
nōn cōmptae mānsēre comae; sed pectus anhēlum,
et rabiē ferā corda tument, māiorque vidēri
nec mortāle sonāns, adflāta est nūmine quandō 50
iam propiōre deī. ‘Cessās in vōta precēsque,
Trōs’ ait ‘Aenēā? Cessās? Neque enim ante dehīscēt
attonitae māgna ōra domūs.’ Et tālia fāta
conticuit. Gelidus Teucrīs per dūra cucurrit
ossa tremor, funditque precēs rēx pectore ab īmō: 55

Aeneas' gebed tot Apollo (56-76)

‘Phoebe, gravīs Trōiae semper miserāte labōrēs,
Dardana quī Paridis dērēxtī tēla manūsque
corpus in Aeacidae, māgnās obeuntia terrās
tot maria intrāvī, duce tē, penitusque repostās 60
Massylum gentīs praetentaque Syrtibus arva:
iam tandem Ītalīae fugientīs prendimus ōrās.
Hāc Trōiāna tenus fuerit fortūna secūta;
vōs quoque Pergameae iam fās est parcere gentī,
dīque deaeque omnēs, quibus obstitit Īlium et ingēns 65
glōria Dardaniae. Tūque, ō sānctissima vātēs,
praescia ventūrī, dā (nōn indēbita poscō
rēgna meīs fātīs) Latiō cōsidere Teucrōs
errantīsque deōs agitātaque nūmina Trōiae.
Tum Phoebō et Triviae solidō dē marmore templum
īnstituam fēstōsque diēs dē nōmine Phoebī. 70
Tē quoque māgna manent rēgnīs penetrālia nostrīs:
hīc ego namque tuās sortīs arcānaque fāta
dicta meae gentī pōnam, lēctōsque sacrābō,
alma, virōs. Foliīs tantum nē carmina mandā,
nē turbāta volent rapidīs lūdibria ventīs; 75
ipsa canās ōrō.’ Finem dedit ōre loquendī.